

3. Præterea, Apostolus dicit, Hebr. 2, quod in eo in quo Christus passus est et tentatus, potens est et his qui tentantur, auxiliari. Sed maxime indigebamus auxilio ejus contra peccatum. Ergo videtur quod in eo fuerit peccatum.

4. Præterea, secunda ad Corinth. 15 dicitur, quod Deus eum qui non noverat peccatum, scilicet, Christum, pro nobis peccatum fecit. Sed illud vere est, quod a Deo factum est. Ergo in Christo vere fuit peccatum.

5. Præterea, sicut Augustinus dicit in lib. de Agone Christiano¹, in homine Christo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei; sed homo indiget exemplo, non solum ad recte vivendum, sed etiam ad hoc quod pœniteat de peccatis. Ergo videtur quod in Christo debuerit esse peccatum, ut, de peccatis pœnitendo, pœnitentiæ nobis daret exemplum.

Sed contra est, quod ipse dicit Joqn. 8: Quis ex vobis arguet me de peccato?

Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est², Christus suscepit defectus nostros, ut pro nobis satisfaceret, et ut veritatem humanæ naturæ comprobaret, et ut nobis fieret exemplum virtutis. Secundum quæ tria manifestum est quod defectum peccati assumere non debuit. Primo quidem, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem, quinimo virtutem satisfactionis impedit; quia, ut dicitur Eccles. 34, dona iniquorum non probat Altissimus. Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ, quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cujus Deus est causa; sed magis est contra naturam, per seminationem diaboli introductum, ut Damasc.³ dicit. Tertio, quia peccando exemplum virtutis præbere non potuit, cum peccatum contrarietur virtuti. Et ideo Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis, nec actualis, secundum illud quod dicitur 1 Petr. 2: Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Damasc. dicit, in 3 lib.⁴, dupliciter dicitur aliquid de Christo. Uno modo secundum proprietatem naturalem et hypostaticam, sicut dicitur quod Deus factus est homo, et quod passus est pro nobis. Alio modo, secundum proprietatem personalem et habitudinalem, prout, scilicet,

¹ C. 11, in fin., tom. 3.

² Art. 1 et 2 hujus quæst.

³ Lib. 2, c. 30, et lib. 3, cap. 20.

⁴ Orth. fid., c. 25.

aliqua dicuntur de ipso in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo convenient. Unde et inter septem regulas Ticonii, quas Augustinus ponit in 3 lib. de Doctrina Christiana¹, prima ponitur de Domino et ejus corpore; cum, scilicet, Christi et Ecclesiæ una persona estimatur. Et secundum hoc Christus, ex persona membrorum suorum loquens, dicit: Verba delictorum meorum, non quod in ipso capite delicta fuerint.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicit Augustinus 10 super Genes. ad litteram², non eodem omni modo Christus fuit in Adam et aliis patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam secundum seminalem rationem, et secundum corpulentam substantiam; quia, scilicet (ut ipse ibidem dicit) cum sit in semine et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque currit ex Adam. Sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginie sumpsit: ratio vero conceptionis ejus non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Unde non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. Et ideo Christus non accepit actiue ab Adam humanam naturam, sed solum materialiter; actiue vero a Spiritu Sancto. Sicut et ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terræ, actiue autem a Deo. Et propter hoc Christus non peccavit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam.

Ad tertium dicendum, quod Christus ex sua tentatione et passione nobis auxiliatus est, pro nobis satisfaciendo; sed peccatum non cooperatur ad satisfactionem, sed magis ipsam impedit, ut dictum est³. Et ideo non oportuit quod peccatum in se haberet, sed quod omnino esset purus a peccato; alioquin pœna, quam sustinuit, fuisset sibi debita pro proprio peccato.

Ad quartum dicendum, quod Deus fecit Christum peccatum, non quidem ut in se peccatum haberet sed quia fecit eum hostiam pro peccato. Sicut et Osee 4 dicitur: Peccata populi mei comedent, scilicet, sacerdotes, qui secundum legem comedebant hostias pro peccato ablatas. Et secundum hunc modum dicitur Isai. 53, quod Dominus posuit in eo iniquitatem omnium, quia, scilicet, eum tradidit ut esset hostia pro peccatis omnium hominum, vel fecit eum peccatum; id est, habentem similitudinem carnis peccati, ut dicitur

¹ C. 31, tom. 3.

² C. 19 et 20, tom. 3.

³ In corp. art., et q. 4, art. 6, ad 2.

Roman. 8, et hoc propter corpus passibile et mortale quod assumpsit.

Ad quintum dicendum, quod pœnitens laudabile exemplum dare potest, non ex eo quod peccavit, sed in hoc quod voluntarie pœnam sustinet pro peccato. Unde Christus dedit maximum exemplum pro pœnitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit pœnam subire.

COMMENTARIUS.

1. Titulus articuli. — Responsio. — Hæc quæstio simpliciter de peccato intelligenda est, ut tam originale quam actuale, mortale et veniale comprehendat. Tractatur autem a D. Thoma de facto, non de possibili; quo sensu nullam difficultatem habet littera articuli. Respondet enim D. Thomas in Christo nullum fuisse peccatum, quod optimis et perspicuis rationibus confirmat.

2. In solutione ad primum, tractat locum illum Psalmi 21: Longe a salute mea verba delictorum meorum. In quo observandum est, juxta veritatem Hebraicam, non legi delictorum meorum, sed verba rugitus mei, seu fremitus mei. Juxta quam lectionem sensus est apertus, scilicet: Cur Deus ita me dereliquisti, ut verba, quibus ad te clamo, longe sint ab impetranda salute mea. Sed quoniam lectio Vulgata, quæ eadem est cum lectione Septuaginta, retinenda est, ideo communis expositio illius loci est quam D. Thomas hic attulit, illa, scilicet, verba dicta esse de Christo in persona suorum membrorum, ut, sicut dixit Saulo, Act. 9: Cur me persequeris? cum non illum in persona sua, sed in membris suis persequeretur, ita hic delicta suorum membrorum appellet sua, quia illa in se suscepit, ut pro illis pateretur. Ita August., epist. 120, de Gratia Novi Testamenti, cap. 6 et sequentibus, quem alii expositores secuti sunt. Idem August., 3 de Doct. Christ., cap. 31; et Nazian., orat. 36, in princ.; et Damasc., lib. 3, cap. 25, et lib. 4, c. 19. Nec multum ab hac expositione discrepat quod ibi notat Theodoretus, sicut dicitur Christus pro nobis factus peccatum, quia factus est hostia pro alienis peccatis, ita eundem Christum vocare delicta sua, non propter culpas quas in se habuerit, sed propter obligationem quam suscepit satisfaciendi pro alienis culpis, quo modo Isa. 53 dicitur Deus posuisse in illo iniquitates omnium nostrorum. Alia expositio esse posset, ut Christus delicta sua vocet, non quæ revera

habebat, sed quæ illi falso imponebantur, sicut exponit Rufinus verba illa Psal. 68: Deus, tu scis insipientiam meam, id est, passionem meam, quæ ab hominibus insipientia reputata est, ut etiam Augustinus et Hilarius exponunt. Et delicta mea a te non sunt abscondita, id est, delicta quæ mihi homines imputant, tu scis qualia sint, quia revera nulla sunt. Et ad eundem modum exponi possunt verba illa Psalm. 39: Comprenderunt me iniquitates mee, si ad Christum referantur, nam de illo exponit hunc Psalmum Paul., ad Hebr. 10. Aliter vero Euthymius negative interpretandum putat, verba delictorum meorum, id est, delicta mea longe sunt a salute mea, id est, longe sunt a me, seu longe absunt, ut saluti meæ nocere possint, cum revera nulla sint. Quem sensum fere secutus est Jansenius, per interrogationem legens hunc locum, scilicet: Numquid verba delictorum meorum longe me faciunt a salute mea? quasi dicat, nullo modo; qui omnes sensus pii sunt et probabiles; facilius tamen est adhærere communi lectioni et expositioni. Aliorum argumentorum solutiones optimam doctrinam continent, non indigent tamen expositione.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo fuerit fomes peccati?

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in Christo fuerit fomes peccati. Ab eodem enim principio derivatur fomes peccati et passibilitas corporis sive mortalitas, scilicet, ex subtractione originalis justitiæ, per quam simul inferiores vires animæ subdebantur rationi, et corpus animæ. Sed in Christo fuit passibilitas corporis et mortalitas. Ergo etiam in illo fuit fomes peccati.

2. Præterea, sicut Damasc. dicit in 3 lib.²: Beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni Christi pati et operari quæ propria. Sed proprium est carni ut concupiscat delectabilia sibi. Cum igitur nihil aliud sit fomes quam concupiscentia, ut dicitur in Glos.³ Rom. 7, videtur quod in Christo fuerit fomes peccati.

3. Præterea, ratione fomitis peccati, caro

¹ Infr., q. 27, art. 3, corp., et ad 1; et 3, d. 17, art. 1, q. 2, ad 4, et opus. 2, c. 226.

² Lib. 2 Orth. fid., cap. 15, a med., et cap.

14.

³ Glos. ord. super illud Rom. 7, ut obedientis.

concupiscit aduersus spiritum, ut dicitur Galat. 5. Sed tanto spiritus ostenditur fortior et magis dignus corona, quanto magis superat hostem, scilicet concupiscentiam carnis, secundum illud 2 ad Tim. 2: Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Christus autem habuit fortissimum et victoriosissimum spiritum, et maxima dignum corona, secundum illud Apoc. 6: Data est ei corona, et exiit vincens ut vinceret. Videtur ergo quod in Christo maxime debuerit esse fomes peccati.

Sed contra est quod dicitur Matth. 1: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Sed Spiritus Sanctus excludit peccatum, et inclinationem peccati, quæ importatur nomine fomitis. Ergo in Christo non fuit fomes peccati.

Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est¹, Christus perfectissime habuit gratiam et omnes virtutes. Virtus autem moralis, quæ est in rationali parte animæ, eam facit esse rationi subjectam, et tanto magis quanto perfectior fuerit virtus, sicut temperantia concupiscibilem, et fortitudo et mansuetudo irascibilem, ut in secunda parte dictum est²; ad rationem autem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus, in id quod est contra rationem. Sic igitur patet quod, quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est quod in eo fomes peccati non fuerit, cum etiam iste defectus non sit ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinet ad contrarium satisfactioni.

Ad primum ergo dicendum, quod inferiores vires pertinentes ad sensibilem appetitum, naturaliter sunt obedibiles rationi; non autem vires corporales, vel humorum corporalium, vel etiam ipsius animæ vegetabilis, ut patet in primo Ethic.³ Et ideo perfectio virtutis, quæ est secundum rationem rectam, non excludit passibilitatem corporis; excludit autem fomitem peccati, cuius ratio consistit in resistentia sensualis appetitus ad rationem.

Ad secundum dicendum, quod caro naturaliter concupiscit quod est sibi delectabile concupiscentia appetitus sensitivi; sed caro hominis (qui est animal rationale) hoc concupiscit secundum modum et ordinem rationis. Et hoc modo caro Christi concupiscentia appetitus sensitivi naturaliter appetebat escam, et potum,

¹ Q. 7, art. 2, et 9.

² 1. 2, q. 56, art. 4.

³ Cap. ult., tom. 5.

et somnum, et alia, quæ secundum rectam rationem appetuntur, ut patet per Damas. in 3 lib.¹ Ex hoc autem non sequitur quod in Christo fuit fomes peccati, qui importat concupiscentiam delectabilem, præter ordinem rationis.

Ad tertium dicendum, quod fortitudo spiritus aliqualis ostenditur, ex hoc quod resistit concupiscentiæ carnis sibi contrariantis; sed major fortitudo spiritus ostenditur, si per ejus virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra spiritum concupiscere possit. Et ideo hoc competebat Christo, cujus spiritus summum fortitudinis gradum attigerat. Et licet non sustinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis, sustinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte mundi et diaboli; quos superando victoriæ coronam promeruit.

COMMENTARIUS.

1. *Titulus articuli.* — Quamvis peccatum proprie sit in voluntate, fomes autem in appetitu sensitivo, quia tamen fomes ad peccatum inclinatur, ideo D. Thomas hunc articulum præcedenti conjungit; et, quia effectus fomitis aliquo modo in voluntatem redundat, quia, quatenus appetitui conjuncta est, per illius motus et affectiones præuenitur, et interdum trahitur ut rationem præueniat, et contra illam insurgat. Potest autem fomes peccati vel in actu secundo, vel in actu primo considerari; et in actu secundo significat motum aliquem appetitus, qui rationem et voluntatem liberam antevertit, et ad peccatum inclinatur; at vero in actu primo significat ipsum appetitum, seu naturalem inclinationem ejus, ita inordinatam, ut interdum possit præuenire voluntatem, et contra rationem insurgere.

2. *Responsio.* — Negat ergo D. Thom. in Christo fuisse fomitem, quod duplici ratione confirmat. Prior est, quia habuit omnes virtutes morales omni ex parte perfectas; sed per has virtutes subicitur appetitus inferiori superiori, et frænatur fomes, et quo hæ virtutes sunt perfectiores, eo est major hæ subjectio; ergo in Christo, in quo virtutes fuerunt perfectissimæ, ista subjectio integra et perfecta fuit. Quæ ratio imprimis intelligenda videtur de virtutibus, non tantum per se infusus, sed etiam de iis quæ suo genere acquisitæ sunt, quia hæ sunt maxime accom-

Orth. fid., c. 14.

modatæ ad moderandos affectus, et subiciendum appetitum inferiorem superiori.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed adhuc difficile est quomodo hæc perfecta subjectio fieri possit per solos inhærentes habitus, ita ut per solos illos omnino auferatur fomes. Respondet Cajetanus hic animam Christi quoad perfectionem virtutis, habuisse statum quem habent animæ in statu innocentiae, et ideo habitus virtutum perfectos potuisse omnino extinguere fomitem in Christi humanitate, quanquam in Joanne Baptista, vel in quolibet alio habente naturam vulneratam, non fuerint sufficientes ad præstandum hunc effectum. Sed hoc non sufficit ad explicandam rem; interrogo enim quæ sit illa perfectio, in qua Christi anima vel humanitas similis fuit homini existenti in statu innocentiae. Nam vel est aliqua intrinseca perfectio ipsi animæ vel potentiis ejus inhærens, et sic esse non potest nisi qualitas, et consequenter vel actus, vel habitus virtutum, qui ejusdem rationis et perfectionis conferri possunt cuilibet homini lapsio; sed omnes illi reuera non sufficiunt ad omnino extinguendum fomitem, et ita frænandum, ut nunquam rationem præueniat, quia appetitus sæpe excitatur ab objecto non applicato per rationem, sed aliunde, antequam ratio advertere possit, qua excitatione facta, ipse naturaliter moveri potest, antequam ratio possit advertere; quæ naturalis operatio non potest per solos habitus corrigi vel frænari. Unde etiam in statu innocentiae, ad tollendum fomitem, præter habitus inhærentes, fuit necessaria (ut ego existimo) aliqua alia perfectio, seu specialis Dei providentia, qua ita custodiretur homo, ut non permitteretur appetitus ejus moveri aut excitari, antequam ratio adverteret, ut in 1 part. latius tractavi. Vel ergo Cajetanus loquitur de hac perfectione status innocentiae, et sic potius deberet concedere, hunc effectum non fieri per solos inhærentes habitus virtutum. Et ita ego existimo virtutes perfectas fuisse ex natura rei necessarias et convenientissimas ad hunc effectum, non tamen illas sufficere secundum habitualement tantum perfectionem, sed conjungendam esse vel actualement aliquam perfectionem, per quam anima sit ita semper actualiter disposita, ut præuenire possit motiones objectorum sensibilium; vel certe divinum auxilium, et præuenientem gratiam, qua hoc donum conferatur, ut latius statim in disputatione explicabo. Et propterea D. Thomas, non contentus hac ratione, ut conclu-

deret virtutes habuisse in Christo hunc perfectissimum statum, et omnia requisita ad extinguendum fomitem, addidit rationem secundam sumptam ex fine incarnationis, ad quem fomes nihil posset conferre. Unde cum alias non sit consentaneus personæ Christi, recte concluditur in illo non fuisse.

Solutiones argumentorum claræ sunt.

DISPUTATIO XXXIII,

In duas sectiones distributa.

DE DEFECTIBUS GRATIÆ ET VIRTUTI CONTRARIIS, A CHRISTO NON ASSUMPTIS.

Defectus animæ, de quibus in hac questione agit D. Thomas, intelligi possunt, vel in ipsa animæ essentia, vel in potentiis ejus. Rursus pertinere possunt vel ad malum culpæ, vel ad malum pœnæ, sub quo omnes imperfectiones, tam intellectus quam sensus, comprehendunt. In essentia autem animæ potest intelligi defectus pertinens ad malum culpæ, quatenus privatio gratiæ, quæ ad hoc genus mali revocatur, in essentia ipsius animæ esse intelligitur, proprie vero malum culpæ in voluntate consummatur. Et ideo in hac disputatione agendum est de hoc defectu pertinente ad animam ratione ipsius voluntatis, postea vero de aliis defectibus dicemus; ad malum autem culpæ revocari potest omnis defectus animæ, qui vel ad peccatum inclinatur, vel est quasi proprius et intrinsecus peccati effectus, ut sunt peccati fomes, et habitus vitiorum qui peccando acquiruntur, de quibus omnibus in hac disputatione dicemus.

SECTIO I.

Utrum in Christo fuerit peccatum, vel secundum ordinariam potentiam esse potuerit.

1. Non defuerunt hæretici qui Christo Domino maculam aut peccatum imponere ausi sunt; referunt enim Lindan., dialog. 2, Hosius, lib. 1 de Hæres. nostri temporis, Præteol., verbo *Antichrist.*, et verbo *Præmons-tratensis*, et alii, quosdam hæreticos hujus temporis asserere, Christum in cruce, in quosdam impatientiæ ac desperationis motus incidisse, quos significasse dicunt illis verbis, *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Calvinus etiam asseruisse fertur Christum in horto ita fuisse turbatum, et tentationibus agitatam, ut sine spiritu oraverit, dicens: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; et*